

0 99-1011

EXERCITATIO
PHILOLOGICO-THEOLOGICA.

PRIMA, SECUNDA, TERTIA ET QUARTA,

Inquirens

IN

VERAM PUNCTATIONIS

HEBRÆI TEXTUS

ANTIQUITATEM.

QUAM

AUXILIANTE DEO T. O. M.

SUB PRÆSIDIO

Plurimum Venerandi ac Clarissimi Viri,

D. TACONIS HAJONIS V. D. HONERT,

S. S. Th. Doct. hujusque Facultatis ut & Antiquitatum

Judaicarum in Celeberrima Universitate

Lugdunensi Profess. Ord.

Publica Disputatione defendet

PAULUS KAMARASI, Transylv. Hungarus, A. & D.

Ad diem 7. & 11. Mart. horis utrinque 9. & 10. ante merid. l. f.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM VANDER AAR,

Bibliothecam & Typographum Academiae, ut & Urbis.

SAN

Google

Illustriſſimo Domino Comiti, Domino

A D A M O S Z É K E L Y D E B O R O S J E N Ő,
Heroui & avita Majestatis Gloria, & Virtutum splen-
dore Augustissimo, Ref. in Transylvania Ecclesiarum
Mæcenati Munificentissimo &c. &c. Domino & Pa-
trono justissima veneratione Colendissimo.

*Illustriſſimis, omnique Stemmatis & Virtutum titulo
Gloriosissimis Dominis, Dominis,*

J O S S E P H O, P A U L O, E T A L E X A N D R O
S. R. J. COMITIBUS TELEKIIS DE SZÉK,
Veris Patriæ Patribus, Ruinantis Ecclesiæ Atlantibus
indefessis, Collegiorum Ref. Curatoribus Dignissimis,
Bonarum Literarum Literatorumque Fautoribus Gra-
tiosissimis (rel. Dign. & Off. Tit.) Dominis ac Patro-
nis usquedum supremus ille dies occultatam tam diu
mortalitatem fateri cogat, humillime Colendissimis.

Illustriſſimo Domino L. Baroni, Domino

D A N I E L I J O S I K A D E B R A N I C S K A,
Omni Virtutum Heroicarum Splendore Spectatissi-
mo, &c. &c. Domino ac Patrono humillime Colendo.

Spectabili ac Generoso Domino, Domino

S I G I S M U N D O B A N F F I J U N I O R I,
D E L O S O N C Z,

Avorum Atavorumque Gloriosa Majestate Inclyto, suis
itidem Virtutibus non minus Glorioso, Ecclesiæ Spei
quam certissimæ &c. Domino & Patrono debita Vene-
ratione Colendo.

Illustriſſimo Domino L. Baroni, Domino

S A M U E L I K E M E N Y D E G Y E R Ő
Monastor, Augustissimis utrinque Majoribus Oriundo,
suorumque Meritorum Prærogativa multum Spectabili,
Domino & Patrono humillime Colendo,

Specta-

Spectabili ac Generoso Domino, Domino

JOSEPHO INCZEDI DE VARAD,
Illustr. Collegii Bethliano - N. Enyedienfis ut & Ec-
clesiæ Saxopolitanæ Curatori Dignissimo, Inclitique
Consistorii supremi Ref. Secretariò, Domino ac Patro-
no devotissime Colendo.

Spectabili ac Generoso Domino

S T E P H A N O R E C S E I,
Bonorum Cels. Principissæ Apasianæ in Transylv. In-
spectori Dignissimo, Domino & Fautori officiosissime
Colendo.

*Multum Venerabili Viro Dei, Celeberrimo ac
Clarissimo Domino*

FRANCISCO FABRICIO,
S. S. Theol. Doctori, hujusque Facultatis, ut & Ora-
toris S. in Celeberrima Universitate Lugdunensi Pro-
fessori Utilissimo ac Solidissimo, Ecclesiæ ibidem Pa-
stori Fidelissimo, Fautori ac Præceptoris æterna Vene-
ratione Colendo.

Celeberrimo ac Clarissimo Domino

TACONI HAJONI VANDEN HONERT,
Defæcatissimæ ac Consummatæ Eruditionis Theolo-
go, Scribæ in Regnum Cœlorum Edoctissimo, S. S.
Theol. Doctori, hujusque Facultatis ut & Antiquita-
tum Judaicarum in Flørentissima Lugdunensi Academia
Professori Desideratissimo, Fautori Optimo, Præcepto-
ri Utilissimo, Præsidi Admodum Reverendo.

Celeberrimo ac Clarissimo Domino

R O B E R T O E M I L I O,
Viro summa Eruditione ac Pietate Spectabili, Illustr. ac
Præp. Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum Collegii
Theol. Lugdunensis Regenti Gravissimo, ibidemque
Eccle-

Ecclesiæ Oratori Sacro Difertissimo, Fautori Beneficentissimo, & Præceptori summa Observantia Prosequendo.

Clarissimo ac Celeberrimo Domino

D A V I D I K N I B B E,
Illustr. ac Præp. Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum Collegii Theol. Lugd. Pro-Regenti Dignissimo, ut & Ecclesiæ ibidem Mystæ Venerando, Fautori multis nominibus Colendo.

Clarissimo ac Doctissimo Domino

M I C H A E L I V A S A R H E L L Y I,
Ref. in Transyl. Ecclesiæ Saxopolitanæ Pastori Fidelissimo, Affini inculpato observantiæ ac amoris cultu perenniter Diligendo.

Reverendo ac Doctissimo Domino

G E O R G I O K A M A R A S I,
Ref. in Transylvania Ecclesiæ Fagarasiensis Doctori Desideratissimo, Parenti Affectuosissimo, rerumque suarum ut intra sic & extra patrios Lares, Moderatori Piissimo, ob idque obedientissima reverentia ad ultima torpentis vitæ suspiria prosequendo.

*Exercitium hoc Academicum in debite
Obligationis, Observantiæ & Obedientiæ memoriale, devotissima religione inscribit*

PAULUS KAMARASI,
AUTHOR.

EXERCITATIO
PHILOLOGICO-THEOLOGICA.

Inquirens

IN

VERAM PUNCTATIONIS
HEBRÆI TEXTUS
ANTIQUITATEM.

THESIS. I.



exatum satis de genuinis Hebraici Textus punctatoribus problema, brevi compendio præsens dissertatio resolvendum intendit, idque ea dicendorum serie, ut (1) evolvendæ quæstionis statum legitime formet, (2) dissentientium circa hoc argumentum placita annotet, mox (3) probabiliorem hypothesin iusto argumentorum pondere adstruat, eandem tandem (4) ab antithesi diversæ partis vindicatura.

II. Disquirendæ quæstionis statum quod attinet, notasse juvat, (1) non hic controversi de punctorum potestate, communi omnium suffragio, ipsis consonantibus coævâ, (2) licet accentuum quoque Hebraicorum doctrina sub generali punctationis titulo contineatur, ea tamen hujus exercitationis argumentum non est. Verum (3) punctorum solum vocalium figuræ in textu Hebr. occurrentes dabunt hac vice dissertandi materiem. Eo tamen

A

(4) non

(4) non dilabemur, ut dictarum figurarum originem in abstracto indagemus, num scilicet hæc ipsa Adami tempora attingat, qui vel privati tantum ingenii præsidio, vel opitulantis insuper Dei patrocinio, omnem Hebræorum literaturam, puncta puta, consonantes & accentus, non tantum sapienter excogitasse, sed & lituris adhucdum exstantibus delineasse a quibusdam perhibetur, etenim solliciti hic de eo tantum sumus, ut liquido constet, quinam figuras vocalium punctorum in Textu Hebr. hodie conspicuas ipsis consonantibus copulaverint, an id vel ab ipsis plane Viris Prophetis cujusvis libri sacri scriptoribus primitivis derivandum? vel saltem ab aliis, antiquissimis tamen, iisque Spiritu divino imbutis Ecclesiæ Judaicæ Doctoribus? An vero non potius recentiorum quorundam Masoretharum sæculo demum V. VI. vel & sequentibus viventium pia quidem, nulla tamen infallibili autoritate divina commendabilis sollicitudo impunctato hætenus Codici sacro, controversas figuras appinxit? Atque his distinctissime vexata quæstio terminis definita, ulteriori examine expedienda est.

III. Licet vero non simplici discrimine dissentiant hic Eruditorum sentimenta, commode tamen satis omnia subduplici eoque generali titulo proponuntur, siquidem, vel circa antiquitatem, vel circa novitatem punctorum omnes occupantur conjecturæ. Multi quippe omnem vocalium antiquitatem ac requisitam divinitatem inficiantur, novum quoddam post Christi demum tempora *supra* Masorethicum autumantes venerandum vocalium systema, sive id Tiberensium quorundam Doctorum V. vel VI. sæculo viventium industria non tantum inchoaverit, sed & consummaverit felicissime, sive ab his bene susceptum opus subsequenter per plura sæcula sollicitudo perpoliverit, coronide tam stupendo operi per duos Rabbinaicæ eruditionis Magistros R. Ben Ascher & Ben Naphthali Anno demum Christi MXL. imposito. Alii vero iique Theologicæ ac
Phi-

Philologicæ eruditionis Antistites excellentissimi, divinam punctorum venerantur originem & antiquitatem, improbabile opinantes absolutissimum alioquin S. Scripturæ opus, ex divinæ Majestatis officina tam imperfectum prodidisse, & quod plus est, hallucinantis sæpius ingenii Masorethici ancipiti superfatatione augeri potuisse, ipsi itaque Deo per Prophetas loquenti & scribenti debitam deserunt originem sæpe dictarum vocalium, cum hoc tamen notabili discrimine, ut aliqui Ezram punctationis agnoscant authorem, qui cum Viris S. M. post solutam captivitatem Babylonicam impunctatum antea, vel saltem ratione punctorum oblitteratum revelationis divinæ exemplar Deo id in ipso operante, quam sanctissime punctis instruxerit vocalibus; aliis hoc idem opus scriptoribus cujusvis libri S. plane primis assignantibus.

IV. Tam vero venerandorum nominum utraq; hypothesis gaudet patrocinio, ut vel horum justa reverentia ac authoritas sufficientissimum in lite cæteroque quoque factis ambigua dubitandi argumentum primo intuitu subministrat. Interim cum modestissima diverse sentientium veneratione eam hac exercitatione profitebimur tuebimurque partem, quæ antiquitati punctorum licet, eorumque divinam originem agnoscit. Hæc enim opinio sua sinceritate videtur commendabilior. Licet autem non Ezram sed potius primitivos librorum SS. conscriptores pro legitimis punctationis authoribus credamus, non interim illi hypothese tantoperè noster labor adversabitur, quam illi quæ novitatem punctorum docet; cui opinioni dum æque refragantur omnia illa quæ punctorum figuras saltem Ezræ tempore existisse evincunt, hinc & illis potius argumentis nostram thesin tuebimur. Ita vero omnia probandæ veritatis præsidia ordinabimus, ut (1) ea præmittamus quæ controversas figuras primis plane Scriptoribus vindicant, (2) illa excutiamus argumenta, quæ antiquitatem in genere, Masoretharum tamen tempora longe antecedentem,

suadent. Prior classis argumenta continebit magis demonstrativa, posterior historica potissimum considerabit.

V. Primum itaque ut ordine sic & dignitate argumentum pro firmanda punctorum antiquitate nobis subministrat ipsa S. revelationis scripto consignatæ absolutissima perfectio & liquida perspicuitas. Supponimus scil. hanc Reformatæ Religionis partem tam evidentibus veritatis documentis suis locis stabilitam, & adversus impetus quorumlibet profanorum sic satis vindicatam, ut nec illinc ambigendi, nec hinc insultandi ullus supersit locus. At sublata punctorum antiquitate, exulabit tam decantata perfectio & perspicuitas e sanctissimo volumine, tamque sollicitum Reform. doctrinæ opus circa repetitam Scripturæ perfectionem pro inani nonnisi simulacro habendum est; siquidem: incidamus identidem in ejusmodi Scripturæ loca, quæ si nudis tantum consonantium picturis exarentur, ea significationis premuntur ambiguitate, circa quam vel exercitatissima ingenia sæpius hæsitant, & manifesta subinde errorum documenta produunt. Quod ut patefcat disertius specimina tantæ ambiguitatis nonnulla sequentium Scripturæ locorum consideratio dabit. *Thren.*

III: 32. אֵי עֵנָה מִלִּבּוֹ i. e. *quia non affliget ex animo suo*; at facile pro עֵנָה substituetur עָנָה i. e. *respondit* eritque sensus a priori plane alienus. *Psal.* VII: 12. וְאֵל יִמְּוֶם בְּקִלְיוֹם facile mutabitur in וְאֵל יִמְּוֶם בְּקִלְיוֹם sensu priori penitus contrario. Sic *Jes.* IX: 7. הַמִּשְׁרָה i. e. *principatus*, facile in הַמִּשְׁרָה i. e. *mensura*, mutabitur, *Jes.* LXIV: 1. לֵאמֹר quam facile in לֵאמֹר sensu itidem contrario transibit. *Psal.* II: 9. תִּרְעֶם i. e. *conteres eos*, quam facile absentibus punctis quis legerit תִּרְעֶם i. e. *Pascet eos Psalm.* XC: 8. עֲלֵמֵי i. e. *occulta nostra* facile iterum quis legerit עֲלֵמֵי i. e. *evum nostrum*, & sic *Mich.* VII: 18. לֵעֵר in לֵעֵר *Jes.* XXXIII: 2. יִרְעֶם i. e. *brachium eorum* in יִרְעֶם i. e. *semen eorum.* *Amos.* 4: 10. בָּאֵשׁ in בָּאֵשׁ. *Jes.* 17: 11. בְּצָר אֲנִישׁ i. e. *dolor lethalis*

ibalis in אֱנוֹשׁ וְכַאֲבִי i. e. *sicut pater hominum.* *Psal.* xci: 3. מִדְּבַר in מִדְּבַר, & viceversa *Jes.* viii: 7. דְּבַר in דְּבַר quam facillime itidem mutabuntur. Eadem ratione *Gen.* xv: 11. אֲשֶׁר אֲבִי i. e. *& abiebat eos*, quam facile quis legerit אֲשֶׁר אֲבִי i. e. *sedit cum eis.* Ita dubitaverit quis an *Jes.* 11: 5. ult. אֲשֶׁר אֲבִי an אֲשֶׁר אֲבִי legendum. *Gen.* xvii: 15. an אֲשֶׁר אֲבִי an אֲשֶׁר אֲבִי legendum incertum absentibus punctis. *Gen.* xxxviii: 12. אֲשֶׁר אֲבִי an אֲשֶׁר אֲבִי legendum, itidem incertum. Et passim sexcenta alia eadem ambiguitate Lectorem incommodant: plura enim similibus difficultatum reperiuntur exempla, quam ut eorum paucitatem quis loco responsionis arripiat.

VI. Nec leve videri debet nulloque prorsus examine dignum unius alteriusque vocalæ flexibilitatem in tam varias formas solícite urgere, etenim hoc si cui videbitur, is prodet se non recepisse genuinam auctoritatem divini Textus, nec fatis reverenter de ipso hujus operis authore primario i. e. Spiritu S. censere, cui æque vocala ac universum volumen curæ fuit. Sed nec insuper unius tantum hic vocalæ, sed totidem sententiarum ac vocabula vel citata vel citanda sunt, vera significatio in discrimen vocatur, una quippe voce immutatâ integer quoque sententiæ sensus in novam formam flectitur. Ita v. g. *Psal.* vii: 12. Si tantum אֲשֶׁר אֲבִי in אֲשֶׁר אֲבִי commutetur (quod absentibus punctis fiet quam facillime) annon totius hemistichii significatio prorsus est immutata & quidem cum manifesta oppositione? At nec dixeris elaboratas nimis esse citatorum locorum difficultates, cum in iis saltem genuinus sensus levi industria elici queat, id enim sit quam falsissimum doctissimi Lxx. Interp. aliq. suo docuerunt exemplo, quibus recitata loca plerumque offensionis lapis fuerunt. Quodsi vero integras desideret quis sententias, quæ variatis consonantium vocalibus variatâ significatione ludant, non plane nos deficient ejusmodi exempla. *Jes.* xxiv: 23. אֲשֶׁר אֲבִי אֲשֶׁר אֲבִי i. e. *confundetur Luna & pudefiet Sol,*

ut hodierna punctatio exhibet, at quam facile absentibus punctis הַלְבֵנָה in הַלְבֵנָה & הַחֲמָה in הַחֲמָה mutatis, novus totius sententiæ exsurget sensus (חַיִּי enim & בַּיָּא suas habent homonymias) scil. *perfoeditur later & pervertetur murus*, quæ versio quam absentibus punctis sit possibilis docet רֹב LXX. hic loci cespitatio. Ita *Exod. xxxi: 18.* non est קוֹל עוֹנֵה i. e. vox clamandi sed קוֹל עוֹנֵה i. e. cantandi, quam facile absentibus punctis confundentur sensu prorsus absono; & quis tandem hujusmodi divinationum in absolutissimo ceteroquin ut prætenditur Codice esset finis? Imo quis non lascivientis ingenii audaciâ abreptus sæpe dissonos vel & monstrosos S. volumini affinget sensus? Quæ enim desperata ambiguae ejusmodi lectionis firmandæ remedia hic suggeruntur, mox patebit esse nonnisi palliativa.

VII. Sed & (2.) scopus Dei revelationem primitus orali tantum traditione conservatam nunc scripto consignantis, coævam ipsis consonantibus vocalium antiquitatem suadet. Est enim quam certissimum Deum in hoc opere conscribendo voluisse non tantum Ecclesiam Judaicam, sed omnium demum temporum de patefactæ suæ voluntatis mysteriis erudire, & quidem quam certissime, plenissime, & liquidissime, cui negotio nudæ consonantium picturæ satis fecissent nunquam. Sed & non ultima insuper hujus rei ratio fuit, quod ita occurrendum videbatur Deo perditissimorum hominum imposturæ, ne scil. gratiosum Dei verbum, pia Patriarcharum curâ orali tantum traditione hætenus conservatum, delinquentis pedetentim ingenii humani perversitas deinceps adulteraret, hocine vero Deus præcavisset sola consonantium Scriptura? Annon in assignanda punctatione ingens imponendæ occasio esset relicta? exstantibus hodie punctis quid humana ambitio intentatum relinquit? & quid ita fuisset absentibus punctis sperandum? Monstrum hætenus ingens sacræ evasissent literæ. Solenniter protestatur æterna sapien-

pientia *Prov. VIII.* quod in iustitia sint omnia versa oris
 ejus, & non in illis ^{לפני} i. e. contortum vel contorquibi-
 le, hoccipe verum erit de Codice impunctato quaquaver-
 sum sæpius flexibili, & ad nescio quas sensuum metamor-
 phoses proclivi? Quam exilis si non plane nulla supererit
 ejusmodi Scripturæ testimoniorum paraphrasis, quibus
 placuit Deo dicti codicis adæquatam integritatem ac per-
 spicuitatem identidem commendare. Imperfecta nimis erit
 illa perfectio quam *Psal. XIX: 8.* tam graphice David psal-
 lit (ut scil. Lex Dei sit תמימה vocabulo non tantum es-
 sentiales sed & integrales cujuscumque rei partes significante,
 quodsi ad legis scripturam quoque referatur, sub tam spe-
 cioso titulo puncta quoque vocalia complectantur necesse
 est, utpote quæ integram Scripturæ partem faciunt.)
 Hiene legis codex impunctatus *sapientem reddet vel impe-
 ritum?* ut ibidem David gloriatur, qui vel sapientissimos
 interpretes toties torfit. *Deut. IV: 2.* alibique passim tam
 consummata inculcatur Scripturæ perfectio, quæ nullius
 additamenti prorsus sit capax, quod qua religione de nu-
 dis consonantium figuris affirmabitur? ubi integra Scri-
 pturæ pars (punctorum scil. figuræ) ita desideratur, ut
 sine ea S. Scripturam legendi ratio *impedita admodum per-
 plexa & valde imperfecta* vel adversantium confessione cen-
 senda sit, *sensum vero assequi pene sit impossibile* vid. C. Ca-
 pelli Crit. S. pag. 262. & 435. Qua tandem veritate lu-
 cerna pedum, lux itineris *Psal. 119.* codex impunctatus di-
 cetur? qui potius sæpe lapis est offendiculi, hicne erit lu-
 cerna splendens in obscuro loco *2. Pet. 1: 19.* dixeris potius
 sæpe obscuritatem, vel si lucem talem sane in qua juxta
Deut. 28. vel in ipsa meridie identidem cæcutias, quæ ta-
 men & similia absonæ hypothæsis Corollaria verecundus
 in Deum amor repellit, nec sibi persuadere potest vel Dei
 sapientiam tam imperfectum opus efformasse, vel ejus bo-
 nitatem circa gratiosæ suæ voluntatis revelationem tam
 ambigue quicquam fari voluisse, ita enim sane revelatio
 nova adhuc revelatione erat illuminanda.

VIII.

VIII. Nunquam vero ab his difficultatibus accurate factis vindicabunt impunctati codicis desideratam perspicuitatem speciosa illa remedia, quæ adversæ partis hic sollicitudo subministrat. Etenim (1.) accurata circumstantiarum & contextus consideratio expediendæ difficultati non sufficit, *quasi vero ex serie & structura vocum semper dignoscendum sit quomodo voces singulæ sint punctandæ, licet cæteroquin extra contextum ille suas habeant ambiguitates.* Hoc enim si ita est, unde factum putabimus quod toties veteres Interpretes Græci, Latini, aliique (quî saltem ex adversæ partis calculo codice impunctato sunt usi) toties a legitima punctatione aberrarunt, an illi tam vesani fuere, ut ad contextus seriem ubi oportebat non attenderint? qui factum est quod Masorethæ Tiberienses, quibus punctationem adversa pars adscribit, tam aberraverint itidem a vera lectione, ut eorum punctatio fundat *sensum* plane *falsum, absonum, insulsum, incommodum, inconvenientem, adeoque corrigendum?* (ut saltem Cl. Capello videtur. Crit. S. Lib. 6. Cap. 12.) an & hi tam negligentes ac vecordes fuerunt ut non ex contextu veram lectionem, si id tam facile est, eruerint? Qui porro fit si contextus tam liquido veram punctationem indicat, quod adhucdum hodie tot sint Virorum eruditorum dissensiones circa lectionem? Ut adeo hic LXX. ille Theodotionis, vel Aquilæ, vel Symmachi, vel & sæpe suam amplectatur lectionem, cur, si res tam est evidens, tam diuturnæ ac graves ea de re controversiæ? Sed nec insuper, contextus & circumstantiæ ita semper sunt constitutæ, ut subnascentibus ambiguitatibus decidendis sufficiant, cum antecedentium & consequentium veritas ex singularum vocum sensu est eruenda; quoties accidit, ut totius sententiæ sensus ex unius alteriusve vocalæ legitima lectione derivetur, quid si jam hæc vox sit ambigua? variumque juxta puncta variata admittat sensum? An hic ex contextûs serie & circumstantiis de vero sensu indubitato constabit? Dum ipsæ cir-

circumstantiæ ab illius vocabuli vero sensu suam expectant lucem ac veritatem. *Gen.* XLVII. ̄. ult. אֲנִי אֲנִי legendum dicat quicumque tandem. *Exod.* XVII. ̄. 14. אֲנִי אֲנִי legendum absentibus punctis expediat aliquis. *Es.* XXI. ̄. 14. אֲנִי אֲנִי an אֲנִי אֲנִי legendum quis itidem docebit, quid hic antecedentia quid consequentia a Mose ad Malachiam docebunt de indubitato sensu? quid universa remediorum suppellex ab adversantibus subministrata? Oedipus sit oportet qui in re tam versatili ubi tuto pedem figat repererit. Adde quod contextum, analogiam fidei & similia non plane rejicienda esse lectionis adminicula censeamus, ibi scilicet ubi jam de codicis divinitate ac fidei dogmatibus nil quicquam ambigitur, at cujus hæc omnia erunt momenti apud eum, cui nondum codicis autoritas divina demonstrata est? quid ipsum contextus, quid analogia fidei juvabit æque de omnibus dubitantem? quin imo annon illius codicis divinitatem oppugnabit vel hoc argumento quod ille tam sit obscurus, ac in sensus admodum multiplices mutabilis? Atque ita multum obscurabuntur illa criteria quibus suam auctoritatem controversus codex vel Atheo possit commendare, exponeturque adversantium furori tanto magis.

IX. Quod vero in ejusmodi extremitatibus ubi contextus vel alia lectionis adminicula verum sensum non determinant, perinde esse censeatur an hunc an illum eligamus sensum, modo is vel *absonus* vel *aperte falsus* non sit, id pio & cordato lectori nunquam satisfaciet. Quis enim nisi impostor ejusmodi conjecturam pro indubitato Spiritus S. sensu venditare auferit? Ita sane non legemus sed divina-bimus Scripturam, & quidem tristi experientia docente non semel a vero abludentes, & quasi Spiritui S. perinde esset, quomodo verba ejus legantur, modo in rebus fidei nihil ipsi *falsi* aut *absurdi* tribuamus, eadem Scripturæ quæ sermonis ratio est, at verba loquentis id indubitato demum significant, quod author intendit, idem censendum de

B

Scri-

Scriptura. Humana ambitio alienam verborum suorum (licet nec fallam nec absurdam) interpretationem indignabunde sæpius succenset, Spiritus vero S. æquo tolerabit animo si ejus verba in alienum forsitan a nobis homunculis sensum detorqueantur, modo is nihil falsi vel absurdi spiret, & modo ne is sit in rebus fidei, quasi vero *reliqua sint parvi momenti*, modestiorem sane reverentiam requirit S. Codex utpote qui *totus quantus divinitus inspiratus est*, nec in eo quicquam levioris momenti occurrit, saltem pro tali habendum non est id, quod tam speciali curâ divinum consilium tuetur. Verendum certe est, ne lasciva hominum securitas ingens ita arripiat argumentum sacro scripto abutendi, quidni enim ita licebit, unicuique eam in ejusmodi ambiguitatibus sequi interpretationem, quam privatum cujusvis phantasma adoptaverit, idque forsitan & pro genuina Sp. S. mente jactare, ita tot exstabunt discrepantes revelationes, quot diversos, omnis tamen absurditatis vel falsitatis expertes, fœtus humana industria in ejusmodi bivio elaboraverit, ita non amplius divinus codex dicenda est sacra revelatio, sed ut eam ignominiose satis ex sua tamen hypothesei justissime appellavit nonnemo, *codex tantum Rabbinicus & Judaicus*, adde sexcentas alias denominationes a diverse legentibus petitas, juste ita (licet cæteroquin admodum incongrue) idem ille nonnemo *Ciceronis, Terentii ac Plauti* scriptis profanis S. Scripturam conjungit, quod quid aliud est, quam Plautum & Spiritum S. ejusdem in scribendo facere dignitatis? Nos vero his absurditatibus perterriti omnia hæc illis relinquenda censemus, qui facile hujusmodi difficultates infallibili judicio humano componunt, & quibus sacer codex communi nonnunquam epitheto cum Æsopi fabulis celebrabatur.

X. Neque est (2) ut scriptorum Rabbinicorum utut punctis vocalibus destitutorum expeditam lectionem ad vindicandam impunctati Codicis S. perspicuitatem suffice-

re quis autemet; Etenim (α) Codicem sacrum cum profanis quorumvis autorum scriptis conjungere profanioris Theologiæ dogma est. (β) Plura in legendis Rabbiorum scriptis adesse lectionis adminicula, præter legendi habitum per crebram punctati codicis lectionem acquisitum norant ejus rei peritissimi, unde Judæi Rabbiorum scripta impeditæ legentes in Scriptura S. vel punctata toties hæsitant. (γ) Detur hæc impunctatum codicem tam expedite legendi gloria principibus viris, at quid de infima fiet plebe? Cui tamen scriptura æque perscrutanda est, dum & *imperitis Psal. XIX: & vntios* i. e. infantioribus & ætate & doctrina loquatur, detque vel *puero scientiam* 1. *Tim. 3: 15.* (δ) Non interim tam secure gloriandum est de expedita scriptorum Rabbiorum lectione, splendidos enim conatus infelix sæpe eventus fraudavit, non leves lapsus Christianorum in hoc tamen eruditionis genere excellentissimorum passim Viri Docti perstringunt, in brevis tractatuli Rabbini versione plurimos Cl. Buxtorfius F. in Tractatu de Punct. Antiquit. pag. 422-429. observavit, hoc si verum de summis in hæc literatura viris, quid de reliquis sperandum est? *si Cedros* (verba sunt Cl. Buxtorfii) *corripit hic ignis, quid fiet byssopo procedenti de pariete?* Idem de Turcarum, Persarum, &c. scriptis censendum est, cum in illis & major sit legendi facilitas, & legantur sæpius cum periculo. Necdum itaque his omnibus indubitata codici impunctato lectio vindicatur.

XI. *Si quis vero* (ζ) *dixerit literas* \aleph *vel* η *legitime supplendorum punctorum vocalium indubitata primitus adminicula fuisse, determinet necesse est, an memorata literarum quaternio in iis tantum locis sustinuerit olim vicem vocalium in quibus adhucdum hodie conspicitur? an vero ubique, ubi scilicet earum usum vocabulorum sensus desiderabat, prius dixerit absurde, cum ita plurimæ voces mansissent ambiguæ, quod si elegerit posterius (ut ita \aleph olim scriptum sit \aleph) de argumento quoque id evin-*

cente cogitet. Et sane quot ita periissent, ex lege ⲓⲃⲏ ex qua tamen ne jota periturum Christus protestatur solenniter. Pari improbabilitate dicitur veram & indubitam lectionem orali traditione facile potuisse propagari, cum ita æque ipsas consonantes humanæ fidelitati Deus concedere potuerit, nec sufficientes rationes habuisse censendus est in earum scriptura tam sollicita. Stringit itaque adhucdum duplicis argumenti robur, evincens non tantum aliqualem punctorum antiquitatem, sed eam imprimis, quæ eam primitivis Verbi divini amanuensibus vindicat.

XII. Ad alteram itaque jam argumentorum classẽm properamus, ubi, tum ex evidenti S. Scripturæ testimonio, tum imprimis ex antiquitate Judaica eam punctorum antiquitatem eruere conabimur, quæ novæ punctationis aucthores longe præcedat, adeoque ejusdem insulstatem detegat. Testimonium quod attinet Scripturæ, illud ex *Matth. c. 5: 18.* repetimus; *jota unum n̄ sua x̄egia* i. e. *vel unus apex non transibit e lege*, ait Salvator. Ubi eum loqui quoque de punctis vocalibus pro vero plusquam probabili habendum est. Multiplicem equidem vocabuli *x̄egia* sensum ex Græcorum scriptorum usu non inficiamur; sed ex illo quem hic loci obtinet puncta vocalia excludi patimur nullo modo. Imo aliæ hujus vocis interpretationes a quibusdam adductæ non tam commode locum hic habere videntur. Intelligi enim hic (1) per apices nescio quæ literarum ornamenta a Judæis usurpata duplici ratione redditur improbabile, (α) quia dum illæ coronulæ nec ad literæ essentiam nec ad sensus integritatem quicquam faciunt, sed sint inane Judæorum commentum, vix videntur tanta Christi sollicitudine dignæ. (β) Quia de ejusmodi apicibus hic agitur, qui interire nullo modo deberent, at id de istis coronulis dici nequit, dum omnia Christianorum saltem exemplaria iis hodie deslituantur, nisi quis omnia illa hoc nomine dixerit depravata, quod ad-

admodum absonum est. Eadem improbabilitate (2) intelligentur per hos apices literarum lineæ, manentibus enim literis manent earundem lineæ, itaque qui dixit ne unum jota i. e. literam vel minimam transituram de lege, dixit sane perennaturas ipsas literarum lineas. Nec commode (3) per controversos apices eminentes literarum quarundam apiculi, sive formales differentię intelligentur, etenim qui dixit de perennaturis literis, dixit sane de illarum forma essentiali, ad quam ejusmodi apices referendi sunt, perennaturâ. Indigitat itaque *νεογία* tale quid, quod ad essentiam legis spectat, litera tamen non est, (quod & conjunctio disjunctiva η indigitare videtur) hoc vero nulla de re commodius intelligi posse videtur, quam de vocalium figuris. Quodsi nimia quis morositate contenderit per ambiguam vocem omnia illa intelligi quæ hic memoravimus, sciat si id consecutus quoque fuerit, se tamen id non facile a nobis obtenturum, ut puncta vocalia hinc excludi patiamur.

XIII. Inquiramus secundo, quid in monumentis rerum Judaicarum pro punctorum antiquitate queat adinveniri. Nec enim hoc quoque argumentum inane est, cum ea sit hujusmodi testimoniorum apud dissentientes veneratio, ut vel unius Eliæ Rabbini testimonium invictum suæ partis argumentum autument, imo subinde vel silentia Hebræorum in suæ hypothesis præsidium elaborent. Speramus itaque & ea testimonia aliquam hic meritura fidem, quæ in nostræ thesisi patrocinium jamjam recitabuntur. Luculentum proinde pro antiquitate punctorum testimonium repetimus (α) ex antiquo libro Cabbalistico כהיר dicto, ex quo hæc recitat R. Bechai ad *Gen.* 18: 3. *Talia sunt puncta cum literis legis Mosis, qualis est anima vitæ in corpore humano.* Ubi diserta jam punctorum mentio, & licet de vera hujus libri ac certa antiquitate non constet, est tamen satis demonstratum illum Masoretharum Tiberensium tempora multum præcedere, quod nobis hic abunde-

de sufficit, qui enim in hoc libro potuisset punctorum mentio fieri, si post illa demum quo hic liber scribebatur tempora essent excogitata.

XIV. Idem probat (β) antiquissimus itidem liber Cabalisticus קריית דין dictus, qui quam diserte de hac vocalium antiquitate testetur, liquet ex ejus Tikkunim, ubi ad locum *Dan. 12: 3.* hæc leguntur verba: *Quid est erudientes? illæ sunt literæ legis, splendebunt ista sunt puncta quæ splendent cum literis sicut anima in corpore, sicut splendor, illi sunt accentus legis, qui sunt corona super capita literarum.* En in hoc quoque libro Masoretharum tempora præcedente distinctam vocalium memoriam! Tanta vero est hujus testimonii dignitas, ut diserte scribat R. Sam. Arcuvolti omnem errorem R. Eliæ de punctorum novitate exinde ortum esse, *quod abscondita fuerint ipsi ea, quæ de punctis scripta sunt in libro Zohar,* in verbis scilicet mox allegatis. Longe vero facilius hoc argumentum ipsum convinceret Eliam primum cæteroquin novitatis punctorum doctorem quam ejus sequaces, ille siquidem ita hujus libri antiquitatem agnovit, ut scripserit luculenter (citante hæc Cl. Buxtorf.) *si quis autem convincere poterit me probationibus clarioribus meam sententiam contrariam esse sententiæ Rabbinorum & contra veritatem Kabbalæ, quæ est NB. in libro Zohar, nulla ac irrita erit sententia mea præ sententia illius.* Ex quo testimonio non tantum Eliam hujus libri antiquitatem Mas. Tib. tempora præcedaneam agnovisse constat (quæ enim alias ejus argumentationi veritas deberetur) sed & insigne contra illos omnes argumentum elicitur, qui dicti libri antiquitatem negant. Et licet difficile admodum sit adæquatam libri hujus ætatem definire, at sufficit hic nobis, si ex testimonio hoc Eliano inter cætera eam antiquitatem optime eliciamus, quæ Masoretharum tempora superat. Eliæ vero testimonium ubi pro punctorum novitate loquitur, tam religiose amplecti, hic vero ejus authoritatem contemnere oppido durum est, ita, non tantum injuria fiet

fret bono illi Rabbinò, sed & prius ejus testimonium de punctorum novitate in suspicionis discrimen incidet. Quod autem novum quendam eamque fictitium librum sub titulo antiqui illius Zohar hodie circumferri, vel etsi eundem, multis tamen locis interpolatum aliqui conjectent, id quidem satisfecerit nemini, nisi speciosam conjecturam argumentorum momenta commendent.

XV. Ipsi quoque (γ) Authores Talmudici ejusmodi testimonia perhibent, ex quibus jam antiquitus puncta vocalia existisse liquido constat, hæc enim verba ex Talmude Babylonico repetit Cl. Buxt. pag. 80. Tract. cit. *quid sibi vult quod scribitur Nehemiæ 8: 8. & legerunt in libro illo, in lege Dei explanate & apposuerunt intellectum, & intellexerunt lectionem? Per hæc verba & legerunt in libro illo in lege Dei intelligitur textus Hebr. per explanate intelligitur Targum vel expositio Chaldaica, per hæc verba & apposuerunt intellectum versus, per & intellexerunt lectionem intelliguntur distinctiones accentuum, alii vero voluerunt intelligi Masoras vel traditiones &c.* Eadem fere in Talmude quoque Hierosol. leguntur vid. l. c. In utroque hoc testimonio disertissima est non tantum accentuum mentio (quos punctis vocalibus antiquiores quis crediderit?) sed & punctorum vocalium saltem implicite, si quidem meminerit utrumque Talmud de Masoris vel Masoret, at Judæi per hoc vocabulum ejusmodi traditiones intelligunt Masoretharum quæ in primis circa rectam lectionem & scriptionem vocum non tantum quoad literas, sed & quoad vocales occupabantur, nec alter huic voci sensus assignandus est præter eum quem apud Judæorum doctores communi harmonia habet. Sed & distinctius eam Masoram, cujus Talmud. meminit jam circa puncta occupatam fuisse liquet ex libro Cosri, ubi parte 3. Sect. 31. hæc verba leguntur: *Et quid tibi videatur de eo, quod adornarunt & instruxerunt scripturam distinctione in versus, punctatione, accentibus, Masoris, de observandis scil. plenis* &

Et defectivis — — — de vocibus item irregulariter cum Kametz vel Patach Tzere vel Sægol punctatis, &c. Stat itaque vi hujus testimonii Masoram jam olim circa puncta quoque occupatam fuisse, citatum enim Rabbinum in dato testimonio respicere ad verba Talmud supra repetita docet ejus glossator R. Jehuda Muscarus. Qui vero illa Masora occupari circa puncta potuisset, nondum illis exstantibus? Quod dum factum esse Talmud supponat, existisse jam puncta necesse est. Nec est, quod quis hic de sonis tantum punctorum agi & non de figuris opinetur, id enim nulla ratione probabitur, imò contrarium probatum vide apud Cl. Buxtorf. p. 81. & seqq. l. c.

XVI. Pergimus (δ) argumentari ex antiquissimorum exemplarium Biblicorum forma, quæ tamen jam punctis vocalibus instructa fuisse traduntur. Celebre apud Judæos nomen est Codicis cujusdam Hilleliani antiquissimi, punctis tamen vocalibus accurate adornati. Ita de hoc exemplari legitur in libro Juchasin fol. 132. *Fuit persecutio magna in regno Leonis, in qua eduxerunt inde librum viginti quatuor, qui vocatur Biblia, quæ scripsit R. Hillel — — — meo autem tempore fuerunt 900. anni quod scripta fuerunt, Et Kimchius testatur in sua Grammatica Pentateuchum illius exemplaris fuisse Toletolæ.* Unde hoc saltem patet, eundem esse codicem Hillelianum in hoc libro memoratum cum illo cujus Kimchi meminit, at vero, ita passim R. David Kimchi de illo codice testatur, ac punctis vocalibus instructo, (vide Michol fol. 93. alibique passim) modo itaque de antiquitate hujus codicis constat, spes est hactenus de argumenti veritate. Licet vero non facile iterum determinetur cujusnam Hillelis hoc sit opus, cum & in Talmude Magni cujusdam Hillelis mentio sit, & plurimum aliorum hujus nominis meminerint Annales Judæorum, est tamen probabile vel adversantium quorundam calculo illum Hillelem hujus operis esse fabrum, qui in Judæa circa Annum Ch. 340. floruit, hoc si verum, existi-

fliterunt jam in medio sæculi IV. puncta vocalia, atque ita cadit saltem Eliæ hypothesiſ, qui a V. vel VI. demum sæculo novitiam punctorum ætatem derivat, cadit vero tanto magis illorum, qui a ſequiori tempore eam reperiunt. At dices, volumen hoc Hillelianum eſſe tantum ſuppoſititium, & ſceleftum quendam impoſtorem ementito a ſe operi per nobile nomen Hillelianum tantam venerationem conciliaſſe, cum inprimis tam fallax dolus emungendæque pecuniæ myſterium inveteratæ ſit experientiæ. Verum ſimplex ejuſmodi & inanis tantum poſſibilitas conjecturam non evincet, omni cæteroquin veritatis præſidio deſtitutam, imo deſperatæ cauſæ indicium videtur, tam anfractuosa ubique effugia indagare. Pari levitate quis conjecerit conſonantes tantum hujus codicis ab Hillele, puncta vero a ſeriori manu poſt tempora demum Maſoretharum fuiſſe exarata, hujus formæ enim difficultates doctiſſime per *ro* aliter fieri potuiſſe reſelluntur. Unius vero Rabbini mox adducti (licet plures ſint qui ita de hoc codice ſentiant) teſtimonio de codicis Hilleliani antiqua punctatione fidem dandam non eſſe, ita quis novitatis punctorum Advocatus cenſuerit, ut mox pari patientia nos toleret eodem argumentandi tenore, ſolius Eliæ teſtimonium de punctorum novitate repulſuros. Præter vero codicem Hillelianum plures quoque punctatos ante tempora Maſoretharum Tib. exiſtiſſe probabili conjectura exinde elicitur, quia primi Grammatici (quorum ætatem primam sæculo VIII. vel IX. collocat Cl. Buxtorf. l. c.) meminerunt exemplarium vetuſtiſſimorum & tamen jam punctatorum, quodſi vero puncta demum V. VI. tanto magis ſi VII. vel VIII. ſunt excogitata sæculo, certe punctata exemplaria tempore primorum Grammaticorum non erant tam antiqua habenda. Vid. de his mox cit. Aut. pag. 355.

XVII. Huc facit omnium Judæorum (e) præter ſolum Eliam teſtimonium, qui conſtanti harmonia novitatem punctorum negant ac tuentur antiquitatem, adeo ut con-

C

fiden-

fidenter postulet Cl. Buxt. p. 319. vel *unicum Elid antiquiorem*, qui *sententiam de novitate punctorum non assertive professus sit, sed dubitative saltem proposuerit, vel etiam unicum qui postquam Elias hanc quæstionem movit, & pro Tiberiensibus decidit, illius rationibus acquieverit, ac subscripserit, eumque p. 323. non authenticum sed quemvis etiam de trivio & sublestissimæ fidei testem, nec plures exiget ne molestus aut iniquus flagitator videatur.* Illos vero quos Elias in suas partes sollicitavit infra vindicabimus.

XVIII. Sed & distinctum (s) a priori argumentum antiquitati punctorum probandæ suppeditat, eorundem Judæorum & quidem omnium ubivis terrarum viventium in hodiernam punctationem consensus. Vix enim circa interpretationem sacrarum literarum dari potest quæpiam conjectura vel interpolatio, quin illico in disceptationem vocata suos reperiat oppugnatores, idque tam inter Christianos quam Judæos. Ben Ascher Hierosolymitanum quoddam idque punctatum exemplar vel ex aliis codicibus vel ex suo nonnunquam judicio corrigens, illico reperit contradicentem æmulum Ben Naphtali. Masorethæ suos quoque habuere consores. Quid itaque punctatoribus illis Elianis eam conciliavit fidem, ut illico omnes Judæorum Doctores Babylonsii, Africani, Hispani, Bohemi, Itali, alique operi eorum tam unanimi consensu subscripserint? Adeo, ut nescias ducant quando de sensu literali alicujus loci agitur, ab illa lectione quam punctatio nostra exhibet recedere, tantine illi fecissent Rabbinicum illum factum Masorethicæ tantum industriæ commentum? Judæine id fecissent qui diversis antea paraphrasibus ac lectionibus erant assueti, ut in hodiernam punctationem tam magna levitate consentirent? Judæine? qui teste libro Zohar profitentur, *quod etiamsi omnes Prophete mundi essent ut Moses ipse qui accepit legem e monte Sinai, non tamen ipsis esset potestas innovare etiam unicum punctum vel literam minimam legis, hinc inquam vocalium Syria totum a Ma-*
fo-

forethis S. Codici additum tam unanimi recepissent religione? qui ne *versum quidem distinguere audent quem non distinxit Moses* ut dicitur in *Milchna Megill. cap. 3.* hinc tam faciles & quidem omnes fuissent in dimidiam partem aucto codice tolerando? Hæc certe tam videntur improbabilia, ut caveant ipsi Judæi ne talia de se quibusdama possint persuaderi. Ita hac de re scribit autor libri *Colri part. 3. Appositis punctorum & accentuum non aliunde esse potest quam a sapientia adjuta* (scil. divinitus) *nequaquam vero a genere sapientiæ nostræ; neque enim probabile est ab aliis hæc recepturam fuisse gentem nostram, quam vel a pluribus singulariter Deo placentibus, vel se ab uno non nisi tali qui fuisset propheta — — Nam contra sapientem qui non est adjutus facile alius ipsi par excipere posset, &c.*

XIX. Neutiquam vero hujus consensus sufficiens ratio est, quod dicantur eam ubique *Masoretæ Tib. expressisse lectionem, quæ inter Judæos erat usitatissima, ut ita nulli de lectione ipsa superfuerit dissentendi materies.* Siquidem (1) variantes lectiones jam tum temporis obtinebant, & (2) si in ipsa lectione non fuisset scrupulus annon tamen existissent quibus saltem figuræ displicerent, & qui eas obinde vel ex toto vel ex parte immutandas censerent? Insensissimi Palæstinis Babylonii, annon hic dissentendi argumentum arripuissent? hodie scil. Christianis quam monstrosæ & superflue videntur vocalium figuræ, omnes vero Judæi tam vesani fuissent, ut nulli eorum tantæ difficultates observarentur, illinc non observarunt sæpius mutum Scheva? Non anomale punctatas voces? *Non absonam, absurdam superstitiosam, non necessariam punctationem* (ut loquitur Cl. Capellus in *Arc. punct. r. pag. 94.*) multarum vocum? quasi omnium illorum mentes ita sint hebetatæ, corda stupefacta sensus omnes ablati, ut tam cito, tam subito, tam constanter, tam universaliter, illis sine ulla contradictione, exceptione persuaderi ac obrudi potuerit tam monstruosa punctatio. Hæc equidem persuadeat sibi

qui volet, nos adhucdum ejus rei fidem non reperimus.

XX. Veræ ubique lectionis porro, a tempore Prophetarum ad Masor. Tib. per solam traditionem propagandæ improbabilitas insigne præsidium subministraret Elianæ saltem hypothese tollendæ. Verum huic rei immorari nec patitur angustia paginæ, & insuper ipsi novitatis punctorum assertores saltem quidam, nisi sibi contradicendi levitate quadam nonnunquam luderent, idem nobiscum viderentur sentire; diserte enim Cl. Capellus veram lectionis per traditionem solam propagationem, *monstrum portentosum & commentum insulsißimum* appellat.

XXI. Fidem vero his omnibus argumentis non ultimam conciliat ipsa adversæ partis hæsitantia, ac fluctuans nimis incertitudo, in nova punctorum origine assignanda. Quis enim æstimandi operis author? Quando & ubi terrarum vixit, cujus autoritate opus suscepit? Quos habuit absoluti operis judices? &c. dubia omnia & quam certissime incerta. Masoretharum Tib. vulgo censetur opus, quos hic hoc, ille illo sæculo vixisse divinat, quodsi vero quis Masorethas istos Tib. nunquam extitisse dixerit, sed aliquem fictæ prius a se novitati punctorum patrocinaturum ipsos effinxisse novi operis authores, illum sane difficulter ex probata aliqua historia, remotique illius temporis annalibus falsitatis damnabunt. Qua de re celebratus toties C. Buxtorf. p. 398. ita habet: *Quod ne yod quidem, nec vocula, imo nec jota vel apex de Tib. Masorethis punctationis atheribus in omnibus Hebræorum scriptis quæ sub ejus manus vel oculos venerunt, & qui ante Eliam scripserunt reperitur. Quod sane suscitandæ saltem suspitioni de sublesta forsitan traditione Masor. illorum Tib. Eliana, abunde sufficit.*

XXII. Atque his potissimum argumentis commendatur punctorum antiquitas. Restat ut succincte firmatam veritatem ab adversantium antithesi vindicemus, quâ nostram thesîn sollicitantes, suam ex adverso persuadere con-

nan-

nantur. Ubi (N) Magnorum quorundam Virorum, inprimis (vel & tantum) Christianorum autoritate litigandum censent novæ punctationis vindices, pro coloranda suæ partis veritate. Et sane, veneramus tam spectabilem nominum memoriam, eruditionem, justamque vel ultro celebramus autoritatem, ita tamen, ut & simul reverentissime fateri cogamur, nudâ tantum autoritate in rebus tam arduis vix aliquid posse evinci. Eâ certe inter veneranda illa Nomina quæ punctorum novitati suffragantur pietate ac sanctissimo veritatis amore plurimi excellere, ut ne ipsi quidem unquam eam sibi deferri postulaverint autoritatem, quæ persuadendæ alicui veritati, præsidio cæteroque argumentorum destitutæ sufficeret. Nomina itaque tam amabilia honorabimus, at pro evincenda hypothesis argumenta expectamus. Sed & porro, liceat autoritatem, æque Magnorum Virorum, nec exiliori unquam Philologicæ & Theologicæ eruditionis titulo insigniendorum, citatæ autoritati opponere, non obscuriori plane argumentandi speciositate. Adde insuper, quod plurimorum (quos in suæ partis patrocinium adversa pars trahit) testimonium de novitate punctorum perhibitum, sit vel admodum ambiguum, vel peremptorie tantum & non ex professo datum, imo non desunt, qui aliter ac parhibentur plane senserunt.

XXIII. Duplici (2) Judæorum testimonio vocali scilicet & muto, novitas punctorum probari, & sic antiquitas labefactari solet. Vocale quod attinet, primus inter Judæos (sed & re ipsa ultimus) jactatur R. Elias Levita Germanus, qui infelix hoc dogma sæculo xv. integro Tractatu Massoreth Hammassoreth dicto Christiano orbi molitus est persuadere, qui, inquam punctationem controversam Masoretharum Tib v. vel & vi. sæculo viventium poëma esse tam diserte affirmavit, ut de ejus testimonii liquiditate ambigi nullo modo queat. Verum; an solus hic Rabbinus eam mereatur fidem, ut rejecta omnium reliquorum Judæorum

antiquitatem punctorum perhibente concordantiâ, ejus solummodo sententia triumphet, optimo jure ambigimus, nec tam facile hoc aliis videbitur probabile, quam iis quorum in judicando libertatem suæ hypothesis amor mancipavit. *Rabbinorum in hac re testimonium non esse contemnendum* optime scripsit Cl. Capellus Arc. punct. r. cap. 3. p. II. sed cur idem affirmet *unius Judæi testimonium asserentis puncta Hebraica esse nuperorum Mas. Tib. inventum, sexcentis aliis Judæorum aliter sententium testimoniis esse præferendum* nulla ratione probabile videretur, (nisi quod id dictum sit quam cautissime, cum nullus præter Eliam Judæus vel ex trivio ac subleptissimæ fidei pro punctorum novitate adduci queat) ut nec illud quod scribat mox, omnia Judæorum testimonia esse domestica, ac in propria causâ nullius proinde momenti, id enim affectuose nimis dictum est, cum nulli unquam ita Historico patrias res describenti, apud posteritatem debita fides constabit, nec insuper hæc causâ tam propria est Judæis, imo agitur res non minus Christianorum, dum de sanctissimi Verbi divini infallibili caractere disputatur.

XXIV. Speciosa vero ratio ob quam plus uni Eliæ in hac saltē materia, quam sexcentis aliis aliter sententibus credendum sit, inefficax nimis est, & larvam habet, quasi vero; *omnes præter Eliam Judæi impudenter & ubique suæ gentis honori litent, & ab ipsa veritate per ejusmodi philantiam sæpius vel scientes se patiantur abduci, Elias vero solus sit, qui sincero veritatis amore conscriptus punctorum novitatem confiteatur, utut ea gentis suæ gloriam non parum incrustet.* Longe aliter de omnibus sentiendum. Nam & ubique, & in omnibus ac in primis circa S. Codicem, semper & omnes præter Eliam Judæos tam reddere suspectos, vix aliquam charitatem spirat. Sed & Eliam ejusmodi philantiæ prorsus excusare est multum abudere a vero. Novane punctorum inventio genti judaicæ fuisset ingloria? Imo quid post natum nomen Rabbinicum a tota hac gente præclarius actum est?

est? Quid ad conciliandum Judaico nomini honorem magnificentius fingi poterat? quam eorum nonnullos vel post ipsam illius gentis rejectionem a Deo, eâ excelluisse sapientia, sanctitate ac fidelitate, ut voluerint punctationem Biblicam stupendissimum humanæ ingeniositatis opus, publicis usibus proferre, quid enim ex ea gente prodiit unquam utilius, quid gloriosius? Mischnici, Talmudici alique autores Judæorum, quæ non sæpe somnia, deliria, quos non fucos consarcinarant, punctationem vero quis unquam non habuit opus si non authenticum, inæstimandæ tamen utilitatis. Nihil itaque certe vel in gentis totius, vel in Mas. Tib. excellentiam ac majestatem excogitari poterat splendidius, nihil Christianos Rabbiniçæ dignitati magis abhinc venerandæ obstringere, quam novæ illius punctationis doctrina. Est itaque ut Christianius de Judæis loquamur, illosque dum tam præsentem gloriandi materiem neglexerunt, ab intentato illicitæ gloriæ aucupio saltem ex parte absolvamus. Elias vero caveat summopere, ne in ipsum, decantata in suam gentem satyra retorqueatur, qui in Masorethicæ hujus punctationis traditione, annon Tribunal quoddam majestatis Rabbiniçæ inter Christianos erigendum machinatus sit? fueritque fraudulentus gloriæ aucups? incertum est.

XXV. Frustra vero Elias & Eliani, Rabbi Aben Ezram quoque in suas partes trahunt, quasi & ille esset factionis Elianæ, manifesta enim ejus verbis fit injuria quibus opinatur ad versa pars eum punctorum novitatem profiteri. Dicit quidem citatus R. in *Exod. cap. xxv. a Tiberiensibus sapientibus consideratam esse omnem dictionem & punctationem*, at non dicit ab illis esse additam punctationem, hoc vero est controversiæ argumentum, illos enim considerasse *ut viderent an punctatio a se facta responderet pronunciationi*, est præcaria glossa hypothesi subserviens, & sane, si ob considerationem punctationis authores censuerunt punctorum Sap. Tib. cur non & consonantium? cum & omnem

vocem ac dictionem dicantur ibidem loci considerasse. Idem censendum de illis hujus Rab. verbis, quæ leguntur in libro Tzachut, etenim dum dicit *punctationem nos accepisse a Masorethis* non de primis authoribus punctorum loquitur, sed innuit a Tiberiensibus quibusdam (non ab illis certe Elianis qui forsitan in Utopia vixerunt) Masorethis acceptam esse illam punctationem, quæ tempore Aben E. in Codice S. exhibebatur. Siquidem destructo Templo vilescerat pedetentim linguæ Hebr. cognitio, ut & accurata Codicis S. descriptio, inde nata multiplex exemplarium differentia, cui malo ut remedium ferretur, excitati sunt doctores quidam in primis in Tiberiade, qui errores variantium Codicum emendarunt, & correctæ exemplaria accuratissime describentes commendarunt posteritati. Et hæc est punctatio, quam acceptam refert Aben E. Tiberiensibus Mas. Cæterum si illa verba juxta adversantium mentem intelligantur Masorethæ Tib. erunt certe & consonantium authores, cum has non minus ab illis acceperimus quam puncta.

XXVI. Nec author libri Cosri novitati punctorum subscripsit illis verbis quæ habentur parte 3. Sect. 31. *dubium non est quin mente tenuerint quid per Patach, Kametz, Scheva, Chirek esset efferendum.* Ex hoc enim testimonio juxta authoris scopum id tantum elici potest, eum scil. puncta a Mose addita esse, non fuisse opinatum, at; qui sequitur credidit non a Mose esse addita puncta, ergo a Masorethis Tib. hoc autem erat probandum. R. vero Dav. Kimchi dum in Michol מתקנים in plurali meminit inde nunquam contabit eum hic ad Masorethas Tiberienses respexisse, dum & de Ezra ac Viris S. M. in plurali æque loquendum erat. Tandem testimonium quod ex libro Tzach Sepharajim Elias mutuatur æque elumbe est, etenim ibi tantum dicuntur puncta in monte Sinai sic data esse, ut tamen lex non fuerit punctata, & quid inde? in monte Sinai non sunt additæ legi vocalium figuræ, ergo sunt

sunt additæ a Tiberiensibus Mas. an hoc tam liquido sequitur? Nonne potuit scriptor hujus libri Ezram punctationis authorem agnoscere, imo cur non ipsum Mosem? Cum multi Judæorum sentiant Mosem accepisse quidem in monte Sinai punctationem sed non ut illico exemplaria punctarentur, verum ut punctorum figuræ per oralem traditionem ad posteros propagarentur. Nullum itaque adhucdum testimonium Judaicum præter solius Eliæ novitati punctorum suffragatur. Sed etsi disertioribus quibusdam documentis probaretur, aliquos Hebr. Doctores ita sentire, nihil certe nobis esset facilius quam testimonia refellere æque probantibus testimoniis, dum vero hunc laborem adversa pars nondum præstat, tanto majorem nostræ hypothese relinquit fidem.

XXVII. Silentium Talmudis priscorumque Doctorum Hebr. de punctis vocalibus porro adversa pars pro argumento punctorum antiquitatem infirmante elaborat. Verum partim jam in prioribus hæc difficultas est expedita, dum & ex Talmude & ex aliis antiquitatis Judaicæ monumentis desiderata testimonia repetivimus. Sed insuper detur hoc precario adversariis nullam scil. in Talmude speciatim fieri punctorum mentionem, quid tum? an hoc silentium illico nos a probata antiquitate devolvat? cum potuerit optime Talmud de vocalibus siluisse, licet jam exstantibus, utpote quod potissimum versatur circa ritus & jura Judaica, non vero circa Grammatices argumentum. Multi Talmudici expositores longe punctorum inventionem posteriores nullam injiciunt punctorum mentionem, extantibus licet vel adversantium calculo punctis. Quin forsitan silentium illud indicium est nullam dum Talmud conscriberetur difficultatem de punctorum antiquitate a quoquam fuisse vel somniatam.

XXVIII. Urgent (1) *librum legis in Judæorum Synagogis impunctatum asservati, idque ea ratione ut Mosi exemplar primitivum representetur*, necesse itaque existimant, ut

D

Mosi

Mosis lex primitus data fuerit sine punctis. Sed hoc (1) nisi novitati punctorum favet vel antiquitati officit, est enim lamentabilis illius consequentiæ imbecillitas, quæ exinde quod Mosis non fuerint puncta data, ea demum a Tiberiensebus Masor. inventa esse elicit, est siquidem sæpius repetita jam crambe, plurimos ab Ezra ac Viris S. M. punctorum originem derivare, imo & ab ipso Mose multi id deducunt, licet simul fateantur legem a Mose non fuisse punctatam. (2) Judæos in asservando impunctato legis exemplari Mosis archetypon velle imitari, quis & unde probabit? Longe aliam ejus rei assignant rationem ipsi Judæorum Doctores, ita enim scribit R. Bechai ad Num. xi: 15. *ea de re jussi sumus non punctare librum legis, quia uniuscujusque vocis sensus literalis est secundum punctationem, nec nisi unicum vox punctata admittit sensum, voce vero non punctata potest homo intelligere & adinvenire multos eosque eximios sensus.* Adde quod dum superstitio Judaica tale in Synagogis requirat exemplar quod ne levissima quidem macula discoloreretur, longe facilius illi satisfaciet sola consonantium pictura, cum tam exacta vocales pingendi ratio sit perquam difficilis. (3) An in Synagogis perennis fuerit legis impunctatæ usus incertum est. (4) Si ea ratio hujus rei quam adversarii prætendunt obtineret Archetypon scilicet Mosis imitari Judæos voluisse, deberet codex ille legis in Synagogis esse Samaritanus, siquidem quam plurimi ex illis, qui novitatem punctorum profitentur simul doceant Mosen Samaritanis literis suum Pentateuchum consignasse. Sed & (5) sequeretur ne hodie quidem extare puncta, cum legis impunctatæ usus adhucdum in Synagogis obtineat.

XXIX. *Marginales* (6) notas vulgo קרי & כתיב appellatas tantum circa consonantes non itidem circa puncta occupatas fuisse adversa pars objicit, quod putat nullo modo factum fuisse si jam antiquitus puncta extitissent. Verum resp. (1) Judæi antiquitatem punctorum ad ipsum Mosen re-

referentes facile hic se expedient, cum illi (saltem omnes) non putent puncta a Mose legi addita, sed in archivis reservata ut orali traditione propagarentur, quidni itaque variantes illæ lectiones circa consonantes occupari poterant, circa puncta non item. (2) Quis author notarum illarum, qua vixit ætate, sed inprimis quibus usus codicibus, non satis constat, & dum sit certissimum non omnia Judæorum exemplaria vocalibus punctis instructa fuisse, imo ejusmodi exemplar vel ob describendi difficultatem, vel & obinde caritatem reddebatur perquam rarissimum, annon potuerunt quicumque demum fuerint harum notarum auctores in ejusmodi codices potissimum impunctatos incidere? & sic observare differentem consonantium Scripturam; hoc enim ad summum hic adversarii obtinebunt, auctores scil. קרי & כתיב punctatis codicibus non usos esse, at ut inde eliciant nulla tum temporis existisse puncta, hoc equidem non facile patientur antiquitatis defensores.

XXX. Specie quoque tantum ludit (7) illud argumentum, quod ex antiquis S. Codicis *Græcis, Latinis, Chaldaicis versionibus elicitur, dum diſtæ paraphrases ab hodierna punctatione identidem discedant, quod nondum extantium punctorum manifestum indicium* conſectat adversa pars. Etenim in genere, laborat hoc quoque argumentum consequentiæ absurditate, discrepant illæ versiones ab hodierna punctatione, ergo nullibi terrarum tum extiterunt puncta, idne verò tam decantata *Sonderzug* procedit? hoc si consequatur, pari certe ratione elicietur ne literas quidem ullibi tum temporis existisse, siquidem ab his non minus recedant citatæ paraphrases ac a punctis. Hanc itaque prius admittant consequentiam, qui priori fidem apud nos sollicitant. Quibus autem omnes hi Metaphrastæ usi sunt codicibus ambiguum est, si Hebræis an punctatis, an contra? Si qui enim punctati codices rarissime admodum reperirentur facile illorum oculis subduci poterant ob rationes mox datas.

XXXI. In specie Lxx. Interp. metaphrasin quod atti-

net, discrepantia sane observabitur illius exemplaris quod hodie sub tam specioso nomine vagatur, ab Hebr. punctatione hodierna, verum an id de genuina illa LXX. versione affirmari queat, id nondum probatum est. Probant vero passim ex adverso viri docti antiquæ illius versionis rudera tantum hodie superesse. Ab hodierna itaque interpolata versione ad genuinam illam metaphrasin inæquali nimis passu argumentatio claudicat. Sed etsi constaret hodiernam interpretationem Græcam, esse illam genuinam, nihilominus tamen aliæ observatæ discrepantiæ dari queunt rationes quam absentia puكتورum in Textu Hebr. certe D. Hieronymus id LXX. Int. nonnunquam beneplacito, aliquando negligentia & oscitantia, imo & imperitia imputat. Omnium vero optime hujus discrepantiæ ratio in illo exemplari collocabitur ex quo suam metaph. & LXX. elaborarunt, quod sive fuerit codex Samaritanus, sive quod probabilius quibusdam videtur Chald. paraphrasis, manifesta discrepantiæ fiet ratio, dum utriusque illius versionis exemplaria ab Hebr. Tex. hodierno sæpius discrepaverint.

XXXII. Nec Chaldaicarum metaphrasium ab hodierna punctatione discrepantia evidens indicium est, non extantium olim vocalium, cum ita vel literæ hodiernæ olim extitisse negabuntur, siquidem & ab his identidem recedat subjecta paraphrasis. Nec credibile est, Eliam hoc argumentum si aliqua evidenti veritate se commendaret fuisse neglecturum, qui vel forcinas nænias ex Judaica literatura in suæ hypothesis subsidium assumpsit. Aliæ itaque hujus discrepantiæ quærendæ rationes, inter quas jure ea recensenda est, quam Judæorum Magistri tradunt, quod scil. scopus illorum Paraphrastarum non fuerit semper & ubique juxta Grammatica præcepta voces vertere, sed potius ad ipsas attendebant significationes, easque imprimis allegoricas, unde ejusmodi discrepantiæ subnasci poterant quam facillime. Sed & addi potest exemplarium diver-

diversitas, quæ ante inventam inprimis Typographiam longe fuit crebrior. Vel & quandoque aliqua incertitudo, & obscuritas ex vetustis ac attritis literarum vel puncto- rum figuris enascens, imo ipsorum interpretum vel osci- tantia, vel audax nimis confidentia, & similia observa- rum differentiarum justa causa esse poterunt.

XXXIII. Discrepat & Hieronymi versio ab hodierna punctatione fatemur, sed inde elici neutiquam patimur vel Hieronymum prorsus punctatum codicem non vidisse vel tanto magis nullum punctatum exemplar ejus ætate exti- tisse, cum ita consequeretur Hieronymum codice hodie- nos consonantium characteres repræsentante quoque usum non esse, imo ne extitisse quidem ejus ætate literas Hebr. cum & ab his recedat identidem. Quod vero insuper Hie- ronymus in tantis vastis voluminibus nullam fecerit puncto- rum vocalium mentionem parum nos angit, etenim (1) Ubi Beatus hic Pater meminit Keri & Ketif, ubi para- phrasium Chaldaicarum Onkelosi & Jonathanis? (2). Non meminisse quidem Hieronymus potuit nominum vocalium (cum illa saltem omnia quando sint excogitata quis facile dixerit?) sed satis est si meminerit in genere literarum vo- calium, quo titulo commode satis puncta quoque com- plectuntur. Sed & forsitan notus fuit Hieronymo jam punctatus codex, saltem non ultima hujus rei vestigia in ejus voluminibus supersunt. In ejus Commentatione in *Jes.* 5: 14. insigne superest monumentum, quod si quis excusse- rit diligenter, lucrabitur probabilem saltem conjecturam de codice punctato jam Hieronymo cognito. In loco enim Scripturæ cit. hæc leguntur verba: יהוה זבואב *Jehova Zebaoth* &c. ubi vox יהוה habet formam pluralis numeri cum affixo personæ primæ, ita tamen, ut eandem hæc vox in statu quoque constructo admittat formam ratione consonarum, hinc; dum præsens locus videatur formam constructam requirere, Lxx. simpliciter transtulerunt in *auribus Jeho- va Zebaoth*, D. vero Hieronymus illa verba juxta hodie-

nam punctationem vertit *in auribus meis Jehova Zebaoth* &c. addens NB. *se secundum Hebr. Textum id vertisse.* Quodsi vero nulla adhucdum viderat puncta, cur non admittere potuit LXX. Int. versionem, cur enim Hebr. יהוה magis est *in auribus meis*, quam *in auribus simpliciter*? Imo an non hoc potius? dum status hic esse videatur constructus. Hanc itaque crisin Rever. Pater non sat legitime instituisse nisi edoctus prius per puncta vocalia genuinam lectionem. At forsitan dices, accepit veram lectionem ex traditione Præceptorum, quibus usus est. Verum LXX. autoritatem unius alteriusve ignobilis Judæi testimonio eum potthabuisse probabile non videtur, cum hi & excelluisse summa eruditione perhibeantur, & ad illa magis accedebant tempora, in quibus genuina lectio a Prophetiis Viris emanaverat. Quodsi cui vero persuasum sit evidentibus documentis hunc virum D. nunquam codice punctato usum esse, vix tamen vel hoc posito nostræ responsioni aliquid decedet roboris, siquidem facile vel ex codicum punctatorum caritate & raritate, vel ex Judæorum malitia, codex punctatus Hieron. latere poterit.

XXXIV. Nec obstat antiquitati punctorum (1) quod nonnulli S. Codicem primitus literis Samaritanis exaratum autumant. Etenim vel antiquas Samaritanorum literas punctis penitus fuisse destitutas, vel S. Codicem iis primitus conscriptum esse adhucdum probatum non est. Est itaque hæc thesis prius probanda evidentioribus quam hætenus documentis, quæ enim jam prodita sunt, quædam inter ea plus excitandæ bili valent, quam veritati persuadendæ. Nec hac de re plura hic dicenda sunt, ne in aliam dilabamur quæstionem, cum & insuper codicem S. literis quadratis, quibus hodie conspicitur, a primitivis scriptoribus fuisse consignatum distincta thesi defendamus, huic Exercitationi subjuncta.

XXXV. Quod vero anomala hic ibivè punctatio quarun-

rundam vocum (t) ita offenderit nonnullos, ut eam nec sacris Scriptoribus primis, sed nec Ezræ assignandam censeant dolendum est, idque eo magis quod ardentiori nunquam privatæ hypothesis amore excitati, acutiori quam oporteret satyrâ perstringant utilissimum punctationis opus, dum ut *monstruosam, irregularem & superstitiosam punctationem* depingunt, ex marginalibus Keri & Ketif sæpius corrigendam. Hic enim est sicubi luculentissima principii petitio, si enim prius constiterit Masorethas Tib. esse dictæ punctationis authores, tum demum probabiliter dicetur erroneam hic ibive esse posse punctationem, cum pure humani ingenii imbecillitas ipsos quoque Mas. Tib. errandi periculo obstrinxerit. Nos vero quibus persuasum est infallibilem Dei Spiritum vel minimam labendi hic occasionem præcavisse, confidenter negabimus quicquam dari monstri in absolutissimo volumine, imo quod alii superstitiosæ monstrositatis titulo rident, nos pro venerando divinæ sapientiæ mysterio verebimur. Quod enim omnia illa diversæ lectionis, *marginæ scil. & textualis exempla* attinet, non tam sunt *inæbæta & monstrosa*, nec ipsa marginalis lectio textualis errorem statim arguit, sed vel variantis tantum lectionis est index, vel mysticum aliquando indagat sensum, vel verecundiori pronuntiationi litat. Hic vero sicubi cavendum est, ne humanæ ambitionis fastus luxuriet, id solum pro vero, constanti, & sincero agnoscens, in quo humanum phantasma acquieverit, huic vero quicquid impervium, obscurum & reconditum est, pro monstro & absurdo habitura. Cur enim quarundam vocum punctatio monstrosa est? quia scil. a communiori punctatione nonnihil discedit, nec ejus rei justas rationes humana adhuc sollicitudo revelavit, hocne vero sufficiet pro tam monstrosa appellatione? Humanæ sane imbecillitatis ac simplicitatis imago, secus loquendum censet. Autument itaque alii, quibus ita videtur id omne *quod hodie ad punctationem Hebr. Textus spectat*

una

una litura esse delendum, nos potius Deum orabimus, ut juxta *Matth. v. 18.* ne apex quidem pereat.

XXXVI. Sed nec (Π) vocalium nomina & quidem ut volunt novitatis punctorum Patroni quidam, novissima, imo barbara ac formæ Chaldaicæ, antiquitatem punctorum debilitabunt. Siquidem (missio illo M. Scaligeri responso *quam futilis*, dicam modestius *subtilis*, est *objectio illa de nominibus*, ut cum reliqua conveniant *discrimen nominis faciat ne Mævius sit Mævius*) responderi hic potest (1) non omnia saltem punctorum nomina tam esse novitia, cum jam ex antiqua Masora multa ex iis repeti possint, ut Kametz, Patach, Tzere, Sægol, &c. (2) detur nomina illa esse novissima, an illico sequetur figuras quoque esse novas, cum nomina earundem figurarum pro varia temporum & authorum ratione potuerint variari, qua de re insigne perhibet testimonium Arúgas Habbósem *cap. xxvi.* dicens: *Appellatæ autem istæ figuræ fuerunt variis nominibus temporibus diversæ pro arbitrio doctorum & consuetudine Provinciarum* — — *hinc vides Masorethas vocare Chirek J & Choletæ & Cosar vero appellat Chirek Schever magnum & Tzere Schever parvum, & NB. hoc sufficere potest responsionis loco ad argumentum Elie a nominibus punctorum &c.* Nec hoc absurdum quis illico reddiderit eo, quod consonantium nomina antiquissima invariata tamen constantissime permanserint, etenim Hebræi in scribendo consonantes semper usurpabant, puncta vero non item, negligentior itaque & rarissimus punctorum usus facile poterat horum nomina obliterare, novæque denominationi dare locum. (4) Nec verum est nomina punctorum pleraque esse barbara vel Chaldæo-Syra, siquidem ex Hebr. quoque lingua etymologia horum nominum derivari queat, ut id R. Aben Ezra in Tzachut exequitur. Sed esto, sit id verum, inde tantum sequetur eo tempore esse illa nomina nata, quo Judæi linguam Hebr. non amplius puram habebant, hoc vero dum jam a captivitate

te Babylonica obtinuerit, quidni poterint ejusmodi barbaræ denominationes longe antiquius usurpari quam quo tempore puncta excogitata esse Elias commentus, inquam commentatus est.

XXXVII. Indigne vero tandem (b) scrupulosæ ac inutilis superfuitatis vocalium figuræ accusantur. An enim jure punctatoribus succentebitur quod tot excogitaverint characteres distinctissimos punctorum vocalium quot erant eorundem potestates vel soni distinctissimi? Annon potius æstimandi sunt gratâ mente, quod possibili cæteroque sonorum confusio, tam optime consuluerint, scrupulum enim quem hodiernæ figuræ de vero nonnunquam sono creant, vel novitius Grammaticaster expediet. Atque ab his potissimum difficultatibus probata prius thesis erat eliberanda; si quæ enim adhuc supersint minutæ faciliiori examine diluentur. Hic igitur alterum Exercitationis terminum figo, nihil nisi illud M. Marini coronidis loco adjecturus, quod habet in Lexici sui præfatione: *Sine punctis scil. majorem esse confusionem linguæ Hebrææ, quam illam Babylonis de qua Scripturæ meminerunt.*

F I N I S.



E

THE.

T H E S E S D E F E N D E N D Æ.

I.

Si Adamus in statu integritatis noverit Trinitatis Myſterium (de quo tamen jure nonnulli ambigunt) id non naturali ut tunc perfectiori, ſed revelata Theologia debuit.

II.

Idem Adamus die creationis ſuæ lapſus nullo modo videtur.

III.

Sabbathum in integritatis ſtatu inſtitutum nego. Inſtitutum vero demum in deſerto, & quoad literam ut pure ceremoniale deſendo.

IV.

Fædus Sinaiticum ante ~~prophetiam~~ conſideratum eſt pure Gratia, licet carnalis Iſraël non bene Dei mentem intellexerit.

V.

Utut poſt lapſum poſſimum Deus ſe ut Patrem Filium & Spiritum S. manifeſtaverit, credendum

dum tamen est, has divinarum Personarum denominationes non in gratia, sed in natura fundari.

V I.

Sacer Codex primitus literis non Samaritanis, sed quadratis bodiernis conscriptus est.

V I I.

Omnia Reformatæ Religionis dogmata, quæ Cl. Joh. Melchioris in שרש דבר ad usque Lib. II. partem secundam accuratissime e S. Literis edisserit, defendam.

F I N I S.

Handwritten text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

7

Handwritten text in the upper middle section, possibly a title or a heading, which is mostly illegible.

Handwritten text in the middle section, appearing to be a list or a series of notes, mostly illegible.

F I N I S